

252

Von Sebald Schreyer.

Cod. ep. X, 31, fol. 128^rff.

Nürnberg.

1500. Oktober 18.

Die allgemeine Unruhe infolge der Türkenkriegsgefahr für Europa. Belagerung und Einnahme von Modon. Aufreizung der Tatarenvölker und deren Einfälle im Nord-Osten. Die Ursachen dieser Heimsuchung Gottes im religiösen und sittlichen Verfall. Auftreten einer neuartigen Krankheit und deren wesentliche Merkmale. Vertrauen auf Gottes Vorsehung, daß sie mit diesen Heimsuchungen eine »restitutio« und »reformatio« des Zeitalters beabsichtige. Schickt eine prognostische Abhandlung J. Werners sowie einen venezianischen Bericht über die Unternehmungen der Türken gegen Modon.

Domino Conrado Celti Prothucio, philosopho et poetae laureato, Sebaldus Clamosus pro salubri vivendi condicione denuo aeris, ceterorum quoque elementorum clementiam optat.

Non puto, Conrade Celtis, vir doctissime, tuam excellentiam 5 posse latere rumores illos, qui iam pridem per universum terrarum orbem divulgati fuere de Turcorum seu Asiaticae Frygiaeque gentis imperatore¹ — si fas est illum imperatorem nominare — de illo scilicet immanissimo nostrae religionis hoste, qui insularem quandam urbem Modon Italico vocabulo atque Venetorum im- 10 perio subiectam ac ab Venetis mille fere milibus passuum remotam in Aegeoque mari sitam ingenti exercitu supra centum videlicet et quinquaginta milibus militum mari terraque obsedit, illam quoque aereis machinis aliquamdiu oppugnatam non tantum recepit sed funditus diruit sustulitque.² Hac igitur potitus vic- 15 toria animus suus mira regnandi cupiditate accensus, ni navi-

¹ *Sultan Bajasid II.*

² *Modon, die alte wichtige Kolonie Venedigs, war am 10. August in die Hände der Türken gefallen. Vgl. Pastor, Geschichte der Päpste, III, p. 441f.*

gandi facultas desit, ulterius bello progredi atque Italiam non solum, verum etiam universam Europam suo imperio, — quod Deus optimus maximusque avertat! — subiugare intendit. Pari modo Sarmatiam Europicam ad aquilonem collocatam Getae, Basternae, Daces, Alani, Tauri, denique infideles gentes, quas omnes vulgus Tartaros appellat, atrocissimis crudelissimisque bellis impetunt per tres quoque exercitus segregate finitos Cristicolarum fines ferro flammisque vastantes eosque inauditis innumerisque cladibus afficiunt. Prius longe quidem mitiora bella quam nunc nostris cum fratribus gessere; nam tunc Christianam gentem tantum abegerant, nunc vero quoscumque receperint, cuiuscunque etiam sexus aut aetatis fuerint — res certe omni miseratione digna — crudelissime iugulant trucidantque.
 Heu, iamiam inter nos nemo est, qui tam immanibus Christiani nominis hostibus resistat repugnetque, Christianam denique religionem defendat. At in causa est, quia intestinis inter nos dissidiis odiisque flagramus. Quid, si hac in nostrorum diversitate animorum huiusmodi hostiles exercitus procedentes universum Romanum caperent orbem sibique mutuo iungerentur? Quod Deus optimus afferre dignet! At hanc bellorum atrocitatem quis autumabit esse aliud quam ferream Dei virgam, qua nos, suae voluntatis praevaricatores, perinde atque figuli vas confringet? Neque Deus maximus malis his finem dabit, nisi criminibus ante(h)ac cesserimus, quae quidem inter nos maxime vigent exceduntque. Nam quis superbiae modus? Avaritiae denique omnes animo usque ad maximum studemus; quantis quaestus seu divitiarum cupiditatibus die noctuque aestuamus! Quid dicam de vitio libidinis? Nihil profecto apud nos ab inguine tutum est. Adulteriis stuprisque minimum peccatur; sunt et alia libidinum vitia, quae quidem appellare non ausim, unde non imerito metueremus, ne flammis coelo deplutis velut Sodoma et Gomorra genus nostrum absumeretur. Hoc unicum crimen, ut reliqua transeam, maximis calamitatibus puniri dignum esset.
 Quid amplius dicam? Christicolarum virtus extincta est omnis; sumus enim tantum nomine Christiani et operibus longe absumus. Probitas olim, quamvis algebat, laudabatur tamen; iam autem sola vita in pretio sunt, et quo his quisquam excedit amplius, eo plus apud saeculum commendatur extolliturque;

contra vero, quo quis virtutum modestia pollet amplius, eo plus 55
 contemnitur despiciturque. Omnis denique recte vivendi lex a
 nobis ablata est. Ita, quod maiores nostri virtutem putaverant,
 iamiam vitio detur; itaque nullis nunc legibus vivitur. Igitur
 haud iniuria Deus optimus maximusque nos percussit variis
 calamitatibus, bellis, annonae caristia, multimodis etiam aegri- 60
 tudinibus, pestilentia et morbo illo lichenico, qui fere per uni-
 versum serpsit penetravitque orbem, neque adhuc finis est. Addi-
 dit ipse novam quandam plagam, quae in Gallia Cisalpina ac
 in locis illis transrenanis vigere coepit, velut illa per viros fide
 dignissimos nobis Neronbergae prodita fuit. Haec autem aegri- 65
 tudo est huiusmodi. Cruces enim quaedam in humanis oriuntur
 corporibus et haec quidem tricolores; nam aliquae atrae viden-
 tur ac illi, quos possident, mortem illico subeunt; nonnullae vero
 glauco apparent colore, atque illis infecti post biduum interire
 solent; sunt denique ad iris instar discolores, et qui eas habuerint, 70
 soli sanitati restituuntur, ac deinceps ingenti incedunt moestitia
 tristique vultu et oculorum acie in humum defixa, denique
 taciturnitatem servantes summam, ita, quod mente captis cre-
 dantur simillimi; et in corporibus non solum sed etiam vesti-
 mentis, quod maiori admiratione dignum est, cruces illae fieri 75
 referuntur, si illa quoque abditissimis in locis claudantur. His
 cladibus Deus maximus nos adhortari videtur, ut in melius
 imutemur atque ad se redeamus; sed nemo est omnium, qui
 illas animadverat reformidetque. Igitur metuendum est, ne ille
 supremus rerum opifex acerbius adhibeat flagellum, eo, quod 80
 Christicolarum nemo sit omnium, qui insontes tueatur, sonentes
 vero puniat extirpetque et nos errabundos in iustitiae tramitem
 reducat reformatque. Pie tamen credi potest, quod huiusmodi
 restitutio reformatioque diebus etiam nostris per gentem a nostra
 fide religioneque alienam futura sit, quae nostram iniquitatem 85
 Dei optimi permissione in ore gladii coherceat puniatque; quod
 quidem iam fieri aperte cernimus. Nam ab austro orienteque
 Fryges, ab aquilone vero Getae, Basternae, Alani Thaurique nos
 bellis cruentissimis lassessunt. Quas quidem adversitates haud
 alia de re nobis a Deo infligi quispiam putet, nisi ut nostra 90
 scelera corrigantur expienturque atque nos a pravorum facino-
 rum casibus ad priscam illam vitae sanctimoniam restituamur

reformemurque, quo divina in nos ultio cessen placeturque. Cuius quidem rei portentum fuisse existimo credoque cometam illum,
 95 qui hoc anno nobis hic visus est, cuius significationem quidam mathematicis disciplinis imbutus expressit, eam quoque ad me direxit, illam denique mihi dedicavit, ea tamen lege, ut secreto teneam, illam denique nulli nisi amicis ut communicarem iussit, velut tua excellentia id ex illius cognoscet monumentis.¹ Eam
 100 quidem hucusque diligenter occultavi, sed postquam cerno magnam illorum partem, quae vir ille praedixerat, ad effectum deduci, maxime circa summum nostrae religionis principem, qui in die divisorum Petri et Pauli² cum suis stipatoribus ac cubiculariis fulmine tactus fuerat, iccirco volui et hanc cometae
 105 significationem tuam quoque praestantiam nullatenus latere; nam et meus singularis es amicus et philosophus non vulgaris. Tibi etiam simul dirigo Frygum in Modon miseranda gesta, quae Teutonica continentur lingua quaeque ipsi Veneti in vulgari Latino seu lingua Italica ad nostros direxerant principes, atque ea
 110 deinceps in nostram traducta sunt linguam. Vale foelicissime. Ex Neronberg Lunae die decima octava Octobris³ anno salutis 1500.

253

Von Johann Aventinus.⁴

Cod. ep. X, 19, fol. 117 v^r.

Gedruckt: J. Turmair's Sämmil. Werke, I, p. 633 f.

Rom.⁵

1500.

Schildert in phantastischer Weise seine angeblichen Liebeserlebnisse in Rom und teilt ein darauf bezügliches Liebesgedicht mit.

¹ Der geheimnisvolle Mathematiker ist Johann Werner, der den Kometen des Jahres 1500 beobachtet und für Schreyer beschrieben hatte. Die kleine Abhandlung ist in einer Abschrift Johann Schöners in Cod. Vind. 4756 erhalten. Sie trägt das Datum »Ex ducali valle IV. kal. Aug: 1500«. Vgl. Schottenloher, Festgabe f. H. Grauert, p. 150.

² Juni 29. ³ Der 18. Oktober 1500 war ein Sonntag.

⁴ Johann Aventinus (Turmair, Pyrgonomus) aus Abensberg in Nieder-Bayern (4. Juli 1477—9. Januar 1534), Geograph und Historiograph, Begründer